Salices e Japonia, quas descripsit N. J. Andersson, holmiensis.

1. Salix japonica Thbg. fl. jap. p. 24. Asa Gray: Plants collected in Japan (Exped. to Japan) p. 319. — amentis sessilibus, nudis, cylindricis, acutiusculis, defloratis valde elongatis, flexuosis, gracillimis; squamis ovatis, concoloribus testaceis, glabriusculis capsulam fere dimidiam aequantibus; capsulis ovatis, obtusis, glabris, subsessilibus, stylo minuto glabro, stigmatibus ~~divisis~~ integris; foliis lanceolatis, cuspidatis, acute serratis, glabris, subtus pallidioribus.

Hab. juxta Nagasaki et alibi: Thunberg. ~~(Specimina descripta in herb. Thbgii vidi)~~

"Arbor mediocris" (Thbg.). Rami graciles, torulosi; cortice flavo-cinerascente glabro nitente obducti. Folia 2 pollices longa, sed pollice angustiora, juniora ~~den~~ utrinque pilis raris et caducis conspersa, anguste lanceolata, apice subobliquo ~~cuspidato~~ acuminata, adulta latiora apice breviter cuspidata, utrinque glaberrima, ~~[illegible]~~ subtus pallidiora vel imo fere glaucescentia venis pulchre anastomosantibus reticulato-venulosa, margine acute serrata serraturis productis, numerose condensatis. Amenta (feminea et deflorata tantum vidi) usque ad 4 pollices longa, patentia, laxe flexuosa, ~~[illegible]~~ bracteis subnullis suffulta; rachis hirta; squamae [illegible] ~~sub~~ lineam longae, pallide testaceae, obtusae, concolores; capsulae fere lineâ longiores, basi ovata crassae, gibbae, apice subtruncato obtusae, testaceo-rufescentes, glaberrimae; pedicellus fere obsoletus; stylus vix productus; stigmata crassiuscula.

Obs. Specimina hic descripta, in herbario proprio Thunbergii Upsaliae asservata, a Salice babylonica — cui capsulis et squamis earum fere omnino congruit — foliis brevibus exacte lato-lanceolatis + (non lineari-lanceolatis) acute et sat dense serratis, serraturis evidenter productis, amentis exinde numerosis et confertis, longissimis et laxissimis luculenter differt. In herbario autem ~~[illegible]~~ Holmiensi et Musei parisiensis specimina plurima foliifera vidi a Japonia a Thunbergio reportata + et communicata, quae nullo dubio ad S. babylonicam veram referenda, ~~et~~ sed S. japonica etiam a Thunbergio inscripta. Quae quum ita sint de vera specie S. japonicae Thbg. non parum sum incertus.

* In China frequentia (culta), et inde forsan in Japoniam immigrata.

2. S. babylonica L. sp. 1443. — e pluribus locis Japoniae in herbariis vidi (semper S. japonica Thbg. appellatam) (a Thunbergio ipso communicatam vidi. *)

3. S. alba L. sp. 1449. Thbg. fl. jap. p. 25.

Nulla specimina e Japonia unquam vidi; in herbario Thunbergiano non adest, quare valde dubia.

4. S. subfragilis Anders. — [?]

Amenta (feminea) brevissima, pedunculata, bracteis paucis subspathulatis integris, glabris suffulta, vix pollicem longa, recurvata, subdensiflora, obtusiuscula; rachis hirsuta; squamae concolores, pallide flavescentes, lanceolato-lineares obtusae, glabrae, capsulas initio omnino tegentes; capsulae viridulae subsessiles, ovato-conicae, glabrae vel basi interdum puberulae, stylo producto rostratae, stigmatibus integris excavatis; folia (novella tantum vidi) lanceolata, glabra, vel subtus pilis adpressis hirsuta, margine integra venis obscurioribus percursa.

Hab. ad Hakodadi Japoniae (legg. Williams & Morrow. (Hb. Asa Grayi)

Specimen mancum Salici nostrae fragili tam simile ut vix ab ea sit distinguendum.

5. S. purpurea L. sp. 1444. — S. integra Thbg. fl. jap. p. 24. sec. specimina in herbario proprio Thunbergii). — Capsula valde crassa, adpresse albo-tomentosa; folia rotundato-obtusata, subtus crebre albo-punctata.

Sub nomine S. integra Thbg. in herbario Hookeri specimen vidi depauperatum, de quo haec annotavi: "Salici repenti in Europa vulgatissimae proxima videtur, praesertim varietati hujus maxime insigni arenariae; folia tamen lingulata, basi valde contracta, margine apte revoluto acutissime et dense sed non profunde serrulata vel potius denticulata, supra obscure viridia, costa tamen alba, subtus argenteo-sericea, costa et venis elevatis, ob venas transversim connexas pulchre reticulatim areolata". — Specimina mihi hodie non adsunt, quare ob rem de hac forma nil certi enunciare audeo.

6. Salix padifolia Anders.

Amentis sessilibus praecocibus, gracilibus, flexuosis, breviusculis; squamis concoloribus glaberrimis; capsulis subcylindricis vel ovato-conicis, glaberrimis, pedicello nectarium bis terve superantibus, stylo parvo, stigmatibus integris brevissimis; foliis ovato-lanceolatis, cuspidato-acuminatis, utrinque glaberrimis, subtus glaucescentibus, margine serrulatis.

Hab. ad Simoda Japoniae, legg. Williams & Morrow (Hb. Asa Grayi).

Arbor videtur sat procera. Rami graciles, laeves, cortice castaneo glabro obducti. Folia 2-3 pollices longa, ad medium 1-1¼ poll. lata, basi rotundata, rarius subcordata, apice in cuspidem subobliquum abrupte producta, supra saturate viridia, subtus opace glaucescentia, costa fulva percursa, margine plus minus sed non profunde serrulata; petiolus 2 lin. longus, planiusculus, glaber. Amenta (feminea tantum vidi) anguste cylindrica, erecto-patentia, flexuosa, laxiuscula, densiflora, deflorata 3-3½ pollices longa, 2-3 lin. crassa, subsessilia, bracteis minutis 2-3 subtus hirsutis suffulta; capsulae testaceo-viridulae, 1 lin. longae, omnino glabrae, basi crassiores, ceterum subcylindricae, obtusiusculae; pedicellus glaber, nectarium ovatum sat crassum ter superans; stylus pedicello duplo brevior, glaber; stigmata brevissima, crassiuscula integra; squamae lingulatae, testaceae, glaberrimae, ventrem capsularum superantes.

Obs. Haec species quoad habitum, formam, consistentiam et glabritiem foliorum ad S. amygdalinam ita proxime accedit ut vix, nisi amentis longioribus et gracilioribus, pedunculo nullo foliato infixis tuto distinguatur! Folia tamen non subtus reticulato-venulosa!

7. S. viridula Anders. — Amenta (mascula) brevi pedunculata, foliis paucis suffulta, erecta, subdensiflora, cylindrica, obtusiuscula, e basi florentia; rachis cinerea hirsuta; squamae oblongo-spathulatae, pallide testaceae concolores, concavae, glabrae, apice rotundatae; stamina gemina, filamentis liberis squamas duplo superantibus, pallidis, antheris sat magnis, rotundatis; folia fere pollicaria, ½ pollicem lata, subsessilia, exacte ovalia, basi subrotundata, apice nonnunquam parum producta, margine

4.

integra vel ~~subinte~~ serrulata, serraturis acutis glanduligeris adpressis, utrinque glaberrima ~~viri~~ pallide virescentia, ~~pe~~ venis anastomosantibus pulchre reticulato-areolata, subtus parum pallidiora. → *)

Hab. ad Yokohama Japoniæ lgg. Williams & Morrow.

Si quidam nostratium sit comparanda S. hastata quoad habitum proxima. Tota videtur ~~paran in an~~ prope aquam et in rupibus crescens. In utraque folia ovalia brevissime petiolata, ~~vivi~~ pure virescentia, praesertim subtus pulchre reticulato-venulosa; amenta ♂ etiam haud dissimilia, sed squamis concoloribus, quare etiam S. amygdalinam nonnihil refert.

8. Salix Sieboldiana. Blume. Bijdr. N. p. 517. Asa Gray: Plants collected in Japan (Expedit. to Japan) p. 319.

amentis sessilibus, mediusculis, erectiusculis, densifloris; squamis lanceolato-linearibus, testaceis, concoloribus, margine pilis conspersis; capsulis conicis rostratis, pilis rigidis albo-cinereis inferne dense hirtis, apice glabrescentibus fuscis, pedicello hirto nectarium duplo superante, stylo producto; stigmatibus integris; foliis obovato-ovalibus, utrinque glaberrimis, subtus opacis, margine acute glanduloso-serratis.

Hab. ad Hakodadi Japoniæ ~~Asa Gray l.c.~~ lgg. Williams & Morrow (Hb. Asa Gray)

Loca apud Blume?

Arbor. Rami cortice fusco-glabro vestiti obducti. Folia 1½ pollicem longa, supra medium vix pollicem lata, exacte obovata, apice recto nonnihil producta, margine acute serrata, serraturis subuncinatis glanduligeris, utrinque glaberrima, supra obscure viridia, venis elevatiusculis striata, subtus pallidiora subglaucescentia, costa et venis prominulis pulchre reticulato-venulosa; petiolus 1 lineam longus, glaber. Amenta (feminea tantum vidi) pollicaria, cylindrica, acutiuscula, densiflora, cinerascentia, bracteis paucis et minutis suffulta; rachis villoso-hirta; squamae lineari-lanceolatae obtusiusculae concolores ut videtur persistentes, capsulam fere dimidiam aequantibus; pedicellus pardus

nectarium crassissimum duplo superante albo-hirtus; capsulâ (~~sesquilineam longa~~) conico-rostratâ, ventre pilis rigidis albis condensatis hirto, rostro glabro fusco; stylus productus pedicelli longitudine, etiam glaber et fuscus; ~~tot~~ stigmata sat crassa, fulvescentia, integra. *lineâ longiores

A speciebus in Europa cognitis sat longe recedit, nec omnino certus sum cui potissimum hanc maxime affinem credam. Quoad formam amentorum ut etiam foliorum S. phylicaefoliae quodammodo similis; capsulae autem multo breviùs pedicellatae, basi albo-strigosae, et squamae concolores!

9. S. vulpina And. — diandra; amentis subsessilibus, bracteatis; squamis acutis, apice nigricantibus, utrinque ~~pilosis~~ pilis rufis nitentibus densè! hirtis; foliis obovatis, oblique acutis, serratis, utrinque glabris, subtus pallidioribus.

Hab. ad Yokohama Japoniae legg. Williams & Morrow (Hb. Asa Gray).

Frutex videtur sat altus. Rami mediocriter crassi, dense foliati, cortice fusco-castaneo nitenti obducti. Gemmae 1½ lin. longa, etiam castaneae, glabrae nitentes. Folia subsessilia, petiolo brevissimo planiusculo glabrescente in sicca, ~~~~ dentia, juniora exacte obovata et minuta, praesertim subtus villoso tenui rufescente-piloso et facile caduco obtecta, adulta fere ~~unciam~~ pollicem longa, supra medium ¾ pollicem lata, basi angustata, obovato-elliptica, apice parvo nonnihil producto saepissime oblique acutata, margine sat distincte, ~~et~~ profunde et aequaliter serrulata, supra obscure viridia, costa albescente-pubenda, ceterum glaberrima, venis regulariter arcuatis percursa, subtus pallidiora, costa et venis dilutioribus pulchre venulosis, omnino glabra, exsiccatione subnigrescentia. ?

Amenta (mascula tantum vidi) 1½ pollices longa, 2½ lin. crassa, exacte cylindrica, obtusa, subflexuosa, erecto-patentia, densiflora, basi foliis ~~pauci~~ parvis 3-4 suffulta; squamae ½ lin. longa, ex ovata basi acutiusculae, apice nigrescentes et subcalvescentes ceterum utrinque pilis sat longis rufo-ferrugineis hirsutae; stamina gemina, filamentis squamas duplo superantibus pallide

flavescentibus, glabris, superne crassioribus, antheris sat magnis rotundatis ~~fulvis~~ ~~[illegible]~~ aurantiacis

A speciebus omnibus mihi cognitis aperte recedit squamis capsularum rufo-hirtis. Quoad folia S. nigricanti, in Europa vulgatissimae, certe proxima.

10. S. acutifolia Willd. Sp. 4. p. 688.—?

Ad hanc speciem non sine multa hesitatione specimina quattuor parva et incompleta, ad Hakodadi Japoniae a Williams & Morrow lecta (Hb. Asa Grayi) referre coactus sum. — Rami cortice rudi intense castaneo obducti. Gemmae maximae glabrae. Amenta ♂ fere bipollicaria et 3-4 lin. crassa, densissime et longe aureo hirsuta, erecto-adpressa, e gemmis magnis erumpentibus nullis foliis suffulta sed omnino sessilia; squamae acutae, atrae, pilis longis lucidis aureo-flavicantibus obtectae; stamina gemina filamentis longis pilos squamarum superantibus albis, antheris minutis rotundatis; folia (novella tantum adsunt) lanceolata, crassiuscula et plana, integra vel obsoletissime serrulata, pure et lucide viridia.

Holmiae d. 13 Febr. 1859.

N. J. Andersson.